

Dissertatio medica de notis gravidarum ... / [Johann Peter Biester].

Contributors

Biester, Johann Peter.
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Krebsianis, [1690]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ey27hwdr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
DE

NOTIS

GRAVIDARUM,
RECTORE ACADEMIÆ SALANÆ
MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO

D O M I N O

IOHANNE GVILIELMO,
Duce Saxoniae, Jul. Cliv. & Mont.

&c. &c.

P R A E S I D E

GEORGIO VVOLFFFGANGO
VVEDELIO,

Med. D. Confiliario & Archiatro Ducal.

Saxon. Theoretices Professore Ordinario,

*Patrono & Praeceptore suo omni observantiae cultu
aeternum devenerando,*

Publico eruditorum examini exposita

à

IOHANNE PETRO BIESTERO, Hamburgensi,

In AUDITORIO MEDICO, Horis consuetis,

Ad diem Jan. MDCXC.

JENÆ, Literis KREBSIANIS.

VIRGIL

Manuscript

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the



PROOEMIUM.

Nihil tam difficile est, elogio *Comi-*
ci, quin quærendo investigari possit. In-
 ter obscurissima est generationis opus,
 absque arbitro oculo in abditis perfici so-
 litum, exponendum hinc omnium oculis.

Sed licet intus agatur occultatum, licet arcanus
 Dei digitus ibi operetur quam maximè, nec possit hu-
 mana mens assequi illam *ἐγχείρησιν*, à tergo tamen &
 hæc respicere non penitus prohibetur. Modus late-
 at, *τῶν τοιχῶν περιτρέχόντων*, *muris circumcurrentibus*,
 res ipsa non ita clanculum perficitur, quin & obser-
 vare, & tempori certo alligare progressum queamus.

Interest omninò, ut noscantur hæc, interest pa-
 rentum, familiæ, imò reipublicæ non rarò, & maximè
 medici, arcanorum naturæ promi condi, & dire-
 ctoris sanitatis. Quomodo succurrere poterit, & re-
 gimini gravidarum prospicere, nisi graviditatem co-
 gnoscat, deque eâ certus sit?

Quamobrem, cum summa hujus scientiæ sit ne-
 cessitas, summa non minus dignitas, usus verò maxi-
 mus, operæ pretium visum fuit argumentum hoc toto
 die occurrens, & medicum exercens, dilucidandum
 paulo suscipere; cui ut annuat clementer æternum
 numen, devotè precamur.

CAPUT I.

De

Notis gravidarum essentialibus.

IN evolvendis notis gravidarum superfluum fuerit, de notionibus nominum plura congerere, hæc enim vocabula adeo nota sunt, ut nemo non statim capiat, quid per illa intellectum velimus, phænomena nempe factæ conceptionis, & consequentis gestationis fœtus in utero. Enimvero necessarium est attendere has ipsas, tum medico, tum quorum interest, ne error aliquis contingat, imò non rarò renunciandum est à medico, seu judicium ferendum non unis casibus, an gravida sit, nec ne, prout jam innuimus.

Non levis est hæc res, sed cognitu difficillima, prædicere, num fœmina sit gravida, ita, ut utroque casu falli admodum sit facile, seu negetur gravida, quæ talis tamen reverà est, seu affirmetur, quæ tamen non concepit. Nec obstetrices solum hoc reatu tenentur, quarum hoc quoque officium jam olim fuit, ut, quænam prægnantes essent, & quæ non, dijudicarent, teste *Tb. Bartholino l. de insol. part. viis, c. 18. p. 160.* sed potius ipsi medici cum primis, earundem directores, notâ satis obstetricum in hisce complurium ignorantia.

Exempla non pauca prostant eorum, qui tum aliàs, tum in magnatibus quoque circa hoc decepti fuere, id quod & aliis contingere in proclivi est, nisi probè caveant sibi. Imò ob hanc rationem quidam inducti sunt, ut cum *Bonaciolo l. de fœt. format. c. 4.* inchoati hominis indices & notas fallacissimas, & quibus minus credendum sit, proclamant; quandoquidem complures & tantum non omnes, omnem citra graviditatem, menstruis re-

cremen-

crementis suppressis evenire queant. Hunc secutus *Paulus Zacchias l. 1. quest. Medico-Legal. tit. 3. quest. 1. p. m. 55.* prægnantiam, in quocunque tempore sit, nullatenus cognosci posse per signa quædam certa, infallibilia, demonstrativa, ac evidentia, contendit, quod merito negat *Sennertus prax. l. 4. p. 2. f. 5. c. 1. p. 346.* Tantum enim abest, ut id asseri debeat, ut potius aureâ adhibitâ signorum cynosurâ mare hoc superare, & perveſtigare integrum & concessum sit.

Communiter à non paucis distingui solent signa conceptionis à signis vel notis ingravidationis, illa verò nostri ferè jam non sunt census, vel ad has referenda fuerint. Quod enim ad momentaneam quasi conceptionis *Ἀόγῳσιν* attinet, laudata olim titillatio, ac delectatio venerea cum ipsis sterilibus, nedum aliis actibus, communis est, etiam extra conceptionem. Idem tenendum de retentione seminis, illud enim & per Harvejana principia longè aliter se habet, & novum non est, retentum aliquandiu postliminiò tamen reddi, & effundi foràs. Nec suctio, vel elater orificii interioris uteri magis activus deprehensus, quicquam evicerit, quàm aptitudinem ad concipiendum majorem præ illis, ubi id minus occurrit.

Tacemus horrorem cum refrigerationis sensu, vel illico vel brevi post actum perceptum, quod nec ipsum quicquam concludit, imò nec observatur quidem ordinariè, ut & alia ejusdem commatis. Subtilior est hæc ipsa conceptionis ratio, quàm ut in radice suâ, & primâ basi statim se prodatur, vel cognosci firmiter possit. Idque non opus etiam est, nec expetitur, unde frustranea ferè sunt, quæ de hoc transcribuntur ab autoribus, inprimis postquam hodiernâ luce in apricum magis emicuit generationis opus, & evanuere antiquæ illæ hypotheses.

Quandoquidem itaq; notæ gravidarum ad amussim fundamentorum diagnosticorum unicè sunt regulandæ,

quæ non minùs de statu sano, vel neutro quoque, quàm morboſo valent, hæc ipſa & nos meritò ſequemur, ac applicabimus ad noſtrum ſcopum. Et ut inoffenſo magis pede certiusque progredi liceat, præmitti merentur quædam diſtinctiones, tanquam cautelæ, monita ac limitationes neceſſariæ. Qui enim benè diſtinguit, benè cognoscit, ut aliàs, ita & gravidarum hæc notas.

Enimverò diſtinguendum omninò eſt (1.) inter ſigna gravidarum *communis* & *proprie*. Non omnia in prægnantibus evenientia ac obvia phænomena æque ſignant graviditatem, quippe communia ipſis cum aliis non prægnantibus, qualia ſunt v. g. febres intermittentes, ut tertiana vel quartana, vel continuæ, morbilli, variolæ, aliaque citra febres varia morborum genera. Hæc ſiquidem non ut gravidis contingunt, ſed communi fato, neque enim exemptæ ſunt à morbis reliquis, quin sæpe expoſitæ aliis contra magis. Et in hiſce caſibus ſeu morbis primaria ſigna morbi cujuſvis attendenda ſunt, habito tamen ſimul, ut par eſt, etiam ad graviditatem reſpectu. De poſterioribus hiſ, ſeu propriis, in præſentiarum ſumus ſoliciti, utrobique communia vel propria tum toto, tum parte, ſeu utero, ſibi vendicantibus.

Non minus (2.) diſtinguendum probè inter ſigna gravidarum *ordinaria* & *extraordinaria*. Quando enim notas hæc luſtramus, fermo eſt de ſtatu ordinario, quæ ſi non omnibus, omnibus tamen ordinario modo habentibus, & ὡς ὅτι τὸ πολὺ, competunt. Niſi enim hoc fiat, non poſſumus citra confuſionem aliquid certi definire. Extraordinaria non faciunt regulam, nec tollunt tamen. Pro varietate naturarum & accidentium diverſa quoque contingunt phænomena, unde hiſ vel illis extraordinariis poſitis firma nihilominus eſt manetque regula. Cumque hæc præmittamus ipſis notis jamjam viſendis, non opus eſt ſeorſim exempla hanc in rem laudare, illuc differenda potius.

Sic & (3) distinguendum venit inter notas, & signa *specifica*, & *individualia*. Ut ut enim videantur hæc sub prioribus jam comprehendi posse, nihilominus tamen, nostrâ quidem opinione, seorsim considerari postulant. Extraordinaria enim ab ordinariis & specificis deviant, individualia verò peculiari dispositione, & *ἰδιουγενεία* quâdam, quam vocant medicorum filii, adhuc strictioribus terminis concluduntur, inter rariora etiam citra causam manifestam numeranda, & ut ita loquamur, magis extraordinaria.

Denique etiam (4) distinguere liceat inter notas, & signa *conceptionis verae & falsæ*, ut sic plenius exhaurire hunc fontem, & stabilire asserta in utramvis partem possimus, nihil quicquam negligendo, quod ex artis oculis impendi possit.

Tacemus (5) distinguendas esse easdem notas etiam ratione *temporum*, cum alia phænomena primis, alia mediis, alia ultimis gestationis mensibus occurrant videnda. Ast cum non tam regimen diæteticum gravidarum ordinare animus sit, ubi ordo ille convenientius observatur, quàm, quod illa medicinæ pars supponit, *ἡμετέρα*, notas, & signacula, ut τὸ ὄν emergat, & concludi possit, esse gravidam, vel minus, consultius utemur methodo apodicticâ è semioticâ depromptâ. Absolvitur hæc consuetis signorum fontibus, desumptis ab essentialiter in hærentibus, essentialiter consequentibus, causis, & similitudine.

Primus fons est τῶν ἐσσιωδῶν, ESSENTIALIUM, seu essentialiter in hærentium, quæ aliàs pathognomonica dicuntur. An verò & quodnam sit verum ac genuinum ingravidationis signum, hoc opus, hic labor, seu potius adhuc sub iudice lis est. Notæ gravidarum æmulantur illos morbos ubi non unum, sed plura signa sociata essentialiter quid conjunctim inferunt, quod exemplo pleuritidis notum est, ubi nec febris, nec tussis, nec dolor lateris

teris punctorius, nec respiratio difficilis, divu'sim spectata, pleuriticum signant, conjunctim autem optimè. Parilem in modum etiam se res habet cum gravidis. Addimus, conjungenda quoque esse tempora, non enim simul & semel, uti aliàs in acutis, sed successivè, & paulatino gressu se excipiunt invicem hæ notæ, saltem certis casibus, ubi dubium aliquod occurrit, ut certo ordine se invicem consequantur, sibi que proportionatim respondeant, relationem ad se invicem habentia.

Essentiale signum, ne dubium quoddam restet, vocamus, quod *permanens* est, ad differentiam reliquorum sic dictum. Id verò in genere est sine dubio status mutatus, insignem enim mutationem à conceptione accidere in aprico est. Statum mutatum dicimus, non quidem morbosum, attamen medium saltem, sanum vel quasi, seu, si mavis, neutrum, quamvis id non absolute semper dici possit, ac propriè. Neuter enim status medius est inter sanum & ægrum, prægnantes verò non ægræ absolute dici possunt, reverà tamen laudatum statum illustrent.

Essentiale porrò dici debet ac potest *quoad uterum*. Ille enim officina est generationis, hortus genialis, & laboratorium, in quo secundum leges naturæ homo formatur, fovetur, & ad macrocosmi regimen ac usum fructum natales suos sumit. Simulac itaque novum hoc opus ipsi denunciatur, non potest non eximie mutari, & ex hac ipsâ mutatione, quid parturiat, cognosci. Quamobrem essentielles notæ ac signa ab hoc statu uteri mutato præcipuè fuerint desumenda.

Hæc inter primo loco numeratur à quamplurimis medicis **UTERI OCCLUSIO**. Cum enim intus hic actus peragatur, citra arbitros, pro rato habetur, occludi uteri orificium interius intimè, adeò, ut nec specillum admittat. Innititur hæc hypothesis elogio *Coi 5. aph. 51. ὁκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τὰ τέκων τὸ σῶμα τῶν ὑπερέων ζυμώμεναι.* *Quæcunque gravis sunt, his orificium uteri clausum est.*

est. Cui consonus est sequens aphorismus 54: Quibus os uteri durum est, his necessum est, id ipsum clausum esse, quo velut signum clausuræ hujus innuitur. Hinc idem laudat & veneratur *Pergamenus comm. 51.* maximum, inquiens, hoc est mulieris, quæ concepit, indicium, si obstetrix potuerit immisso digito os uteri tangere. Statim enim, cum semen intra seipsum conceperit, totam suam capacitatem contrahit, & os claudit.

Innuitur eo ipso ratio, hypothesis nempe antiqua, retineri semen in utero, & ex commixtione feminum fieri conceptum, quod cum per recentiora Harvejana experimenta explosum sit, & quidem per sensualem experientiam, dubium redditur hoc experimentum. Confirmat idem, qui instar omnium nobis erit, (quid enim attinet omnes, qui idem scribunt, laudare?) *Domin. Panarol. Pentec. 3. obs. 20. p. 78.* Gravidarum, ait, signa incerta sunt omnia, fallacia, & vana principio gestationis. Unum tantum, post longas observationes à nobis factas, habuimus, videlicet uteri clausuram, quæ digito immisso ab obstetrice diligenti, & doctâ in anatomicâ sectione, in mulieris vulvam, cognosci poterit. Si enim uterus resecratus est, foveam quandam parvam, vel finum parvum rotundum in digiti extremo persentiet; si clausus sit uterus, nulla fovea, nullus sinus tangitur.

Tantum verò abest, ut novum hoc sit assertum, & veritati examissim respondens, ut potius, per dicta, dudum fuerit cognitum, vel traditum; ut repugnet experientia, & ipse sensus per anatomen. Gaudet enim orificium illud interius per ipsam conformationem suam tali finu & commissurâ, nec apertum hiat in non gravidis. Videtur hæc sententia congruere alteri, de clausurâ orificiî ventriculi inferioris, quâ statuebant olim idem connivere, donec chylus in *ἐνδοχώρα* ejus confieret ex assumptis.

Neque tamen de nihilo est *Hippocratica* paroemia, si-

quidem eâ ipsâ innuit, connivere orificium uteri magis; & secum habitare conclusa, nec solitis periodis extrorsum amandari; roborari item sphincterem hunc, & satis validum esse suo elatere fibrarum organico, ut retineat & foetum, & cæteroqui egressuros humores. Et sanè ipse *Panarolus* fatetur verbis sequentibus, aliquas gravidas tamen os uteri clausum primo & secundo mense non habere. Confirmant idem satis, quæ emittuntur hac viâ in ipsis gravidis, exemplo fluoris albi, & aliorum, de quo in sequentibus. Donec igitur validioribus experimentis evincatur, statum uteri quoad hanc clausuram esse mutatum, aliis non gravidis contra, ut demonstrativum, & firmum hoc signum haberi queat, præstat id suo loco relinquere.

Potiori jure inter essentialia signa ac notas graviditatis haberi debet *MENSIVM EMANSIO*. Decantatus hanc in rem est *S. arbor. bi. ἢν γυναῖκὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης, μήτε πυρετοὶ ὀπιγνομήνους, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσιώτωσι, λογίζεσθαι πύστιν ἐν γαστρὶ ἔχειν*, quæ paraphrasi nostrâ additâ ita reddi possunt: *Si mulieri* (conjugatæ, vel coitu usæ,) *purgationes* (menstruæ, ordinariè aliàs fluere consuetæ,) *non prodeant*, (uti prius, idque citra causam aliquam manifestam,) *neque horrore* (inde,) *neque febre* (vel aliis mensium suppressionem morbosam sequi solitis) *succedente*, *fastidia verò* (& alia plura signa itidem insolita) *ei accidant*, *gravidam esse putato*.

Signa nempe, quæ à fœmellis ipsis plurimis experimentis attenduntur, jure merito etiam à medico cordi haberi debent. Menses itaque plenitudinem arguentes, seu *πλεονασμὸν* ac *ὀργασμὸν* sanguinis, si non fluant, necessum est, in causâ esse aliquam remoram; natura enim ordinis sui est observantissima, quamdiu sibi relicta est. Dum vires annique sinunt, statim menses repetunt periodis. Ast ponamus juvenculam, seu recens nuptam,

ptam, seu aliàs jam partu uno alteroque exsolutam, cœteroqui sanam vegetamque, appetente tempore, intervallo menstruo elapso, non experiri menses, primum hoc argumentum est, ipsam concepisse, confirmandum per bonam consequentiam aliorum, idem comprobantium. Aut enim per causam aliquam aliam emanere menses, sive ætati id debeatur, seu errores diætæ, seu morbi, seu symptomata alia & circumstantiæ præcesserint & id induxerint; aut arguitur hoc ipso etiam conceptio.

Cumque natura non faciat saltum, non sequitur quidem statim: menses emanere, ergò concepit: sequitur tamen cæteris paribus. A priori enim natura non potest profundere sanguinem, ad aliud opus, futuri hominis puta, vocatum. A posteriori idem confirmatur, partim κατ' ἀρσιν, si illa, quæ statum morbosum signant, non eveniant, partim κατ' ἑρσιν, si illa sequantur, quæ gravidis aliàs accidere assolent.

Sanè hic ipse aphorismus accuratissimè, & velut in synopsi, inculcat, licet brevi & Laconicâ, quod solenne est *Coo*, oratione, graviditatis notas, ad reliquas viam sternens facilem. Uti hinc à contrario, quamdiu menses ordinariè fluunt, nec circa hæc aliquis mutatus status occurrit, uteri œconomiam in excernendo ac deplendo occupari, & more solito procedere; ita si substituerint iidem, aliud agere eundem, manifestum est.

Gaudent verò hæc aliquâ latitudine, ut præter viam regiam in utrumque extremum fiat nonnunquam declinatio. Menses conceptionem præcedunt, ut flores fructum: factâ conceptione iidem subsistunt. Exempla tamen utriusque in contrarium prostant Conceptum sine mensium fluxu aliquot exemplis, & citatis ex autoribus pluribus, *Hildano*, *Hollerio*, *Schenckio*, *Marcello Donato*, *Sennerto*, & aliis, notavit *Rhodius cent. 3. obs. 54. p. 173*. Sed sufficit in his, cœteroqui sterilibus futuris, ipso conjugio correctam uteri ἀνεργσίαν, & eo ipso pacto laxatis viis aptum

redditum genitale arvom ad fufcipiendum contagium, feu fpiritum feminalem. Adeoque hæc exceptio non fubruit fundamentum ingravidationis, ab effentiali hæc notâ defumptum.

Vice verfâ videas, rarius tamen paulò, menses refpondentes in gravidis aliquando, quale exemplum con- fignavit *Tb. Bartholinus cent. 3. hift. 13.* ne plures, vel noftram quoque experientiam, laudemus. Quis vero nescit, elo- gio Hippocratis *5. apb. 6.* menses in gravidis prodeun- tes minitari abortum, & fœtum vel debilem effe, nec benè valere, vel talem futurum, ipfumque inde imminere abortum? Quare, fi quid tale quibusdam contingat, archei providentiæ adfcribendum fuerit, ob plethoram, ob ftatum onerofum, id quod etiamnum eft fuperfluum, ne in noxam cedat fœtus, corporifue ipfius, emittentis, falvis interim effatis medicorum, &, qui his concinunt, aliorum. Hinc in aliis femel iterumque pro re natâ tantil- lum faltem excidit, parte potiori, alioqui excernendâ, re- tentâ, eâdem de causâ, id quod non repugnat hinc di- ctis, fed eadem confirmat magis. Adeoque inter duo hæc extrema medio loco procedit ftatus naturalis.

Alterum inter effentialia numerandum fignum & notam graviditatis exhibet INCREMENTUM ABDOMINIS debitum. Post enim, quàm ovulum, charactere feminali fœtum & ὀργασμῶδες redditum, ex ovario per tubas ute- ri Fallopianas evolutum, in utero ftabulare incipit, & conceptus in receptaculo fuo univerfali fœtus, in pro- prio feu privato ergaftulo conclusus, & pro communio- ne fuccorum vitalium utero coalefcens, fenfim increfcit, ad modulum hujus incrementi etiam uterus expanditur. Imò, quod mirum eft & neceffarium tamen, denfior fit ejusdem fubftantia, fiquidem illuc amandatur confer- tim, quod novo hofpiti fufficere poffit humidum alibi- le. Quare in pelvi fuâ, feu inguinum intercapedine, (quod fpacium fœminis præ maribus latius ampliusque con-

concessum est, testibus sceletis & autopfiâ,) majori mole affurgit, & in cavitate abdominis enitens hoc ipsum fastigiât, & lateraliter simul τὰς κενεῶνας seu cavitates sic fatis complet. Adeoque dum hoc debito modo fit, non potest non eminentia hæc abdominis notam constitutere eamque essentialem graviditatis.

Ut verò melius hæc constent, requisita & circumstantiæ aliæ visenda sunt, quibus hoc incrementum abdominis gaudet & præditum esse debet, pro arguendâ ac inferendâ graviditate. Tumor enim hic turgidi ventris debet esse continuatus, seu increscens pedetentim magis atque magis; adeoque & constans, non vagus, non remittens & desinens; æquabilis item & conveniens moli intus assurgenti; plenus, non vacuis penitus hypochondriis; assurgens denique & fastigiatus decenter, seu prominulus, suoque modo acuminatus. Meminimus aliquoties retulisse gravidas, ventriculum sibi intumescere, Der Magen sey ihnen geschwollen/ quod signum hoc apprimè confirmat, utpote consentaneum & congruum eidem.

Testatur hoc visus, obvium enim est hoc incrementum oculis, nec celari ita potest quamvis vel rusticæ ignaræ cingulo stringant sæpe arctius præcordia, vel aliæ occultæ veneri litantes, ut oculant deflorationem, quod & aliis meditantur tegere modis. Confirmat idem contactus blandus admissus, externa enim testantur de internis & hoc loco, unde harum rerum periti medici, peritæque obstetrices aliæque fœminæ, certum graviditatis capiunt argumentum. Cum aliquando præterentem sponfam in templum concessuram ex fenestrâ despiceret medicus, hæc notâ confusus, gravidam edicebat, brevi post evulgato & vaticinio & eventu.

Referri huc potest, licet rarius paulo phænomenon, & in paucioribus visum, pondus circa pubem. Tale superiori anno fœmina toto gestationis tempore sentie-

bat, ita ut federe non posset citra molestiam, aucto tristi sensu ad augmentum foetus, & imprimis mane jejuno ventriculo duritiem insignem in sinistro hypogastrio sentiens, cum aliis signis gravidarum propriis, quâ molestiâ omni à filioli felici partu liberata est. Nimirum quibusdam inferiori huic climati magis inhæret uteri moles, quæ hinc & molestiam aliquando patiuntur.

Tertium indicium essentiale ac nota graviditatis est **MOTUS** ipsius **FOETUS**, motus videlicet secundus, circa medium ut plurimum gestationis tempus eveniens, & in augefcente abdomine seu ventre infimo expressus emicansque. Hic ipse prioribus duobus superadditus ultimum addit pondus, & testis sic redditur omni exceptione major. Quandocunque enim tria hæc ex ordine se insequuntur, & visenda offerunt, dubium omne dispalescit, & concluditur, esse reverà gravidam; non quod non prius jam id innotescere potuerit, sed certis casibus, ubi dubia nihilominus fuit conceptio, sic certò idem deciditur.

Probè interim & hic motus attendendus est, num ita sit comparatus, ut à foetu jam velut perfectè animato oriatur, ipsi unicè adscribendus, non alteri. Probè enim distinguendus est à motu uteri spasmodico, qualis in hystericis quibusdam & propriâ & alienâ abdomen contingentium, certâ satis & indubitatâ, fide observatur, sive in ipso puerperio & à partu jam vacuus uterus ita volvatur, sive extra hunc reatum. Sanè vix crediderit, nisi expertus in praxi, & motum hujusmodi utero competere, & eundem motum foetus æmulari. Ipsæ quoque foemellæ hystericæ contrahi abdominis interiora & instar capitis foetus, wie ein Kindes Kopf / repræsentari referunt,

Quamobrem genuinus hic motus præsupponit statum sanum, & hystericæ inordinationis expertem. Primitus minor est, & lumbricatim se habens, hinc incre-

scit

scit unà cum tumore abdominis, & rite advertentibus vitalem se fatis superque prodit, ac alium quàm uteri crispaturam, vel partium vicinarum aliarum? Respondet quoque signis aliis & tempori, nec latere potest vel matrem, vel accubantem, unde discerni facilis est. Cavendum tamen itidem, ne motus flatulentiae debitus foetui adscribatur, praesertim in principio medietatis huius, quod factum notavimus quoque.

CAPUT II.

De

Notis gravidarum postessentialibus & reliquis.

Alter fons, qui notas gravidarum suggerit examinandas, est τῶν ἐξ ἀνάγκης ἐπομύων, seu *necessario consequentium*, POSTESSENTIALIUM. Ad huius majorem dilucidationem facit, quod per hanc intelligamus statum alteratum consequentem, totius reliqui puta corporis, praeter uterum; deinde consequentia ipsa jam exposita in utero evenientia. Ita enim parum restabit dubium quoad fundamentalem hunc demonstrationis loculum, tum quoad notas graviditatis inde depromptas.

Consequentia itaque haec vel menses retentos consequuntur, vel ipsum incrementum abdominis; quod enim motum attinet, vix seorsim is aliquod notabile consequens post se trahit.

Prioris generis notas, (quamvis non negemus, alterum alteri velificari simul,) cum *Hippocrate* possumus commodissime uno nomine complecti, siquidem instar omnium sunt *l. c.* laudatae ἀσσαι, cujus vocis emphasin si noverimus, universa farrago consequentium horum
phæno-

phænomenorum patebit. Enimverò sic exprimuntur & intelliguntur non sola fastidia, vel nausæ, sed ex ætationibus læsis, vel quasi, variæ, inappetentia, seu ciborum fastidia, averfatio carniū, vini, cerevisiæ & similium, vomitiones, δυσπρέσεις, anxietates tum à cibo, quo usque rejiciatur rursus, tum à vestitu arctiori, & aliàs, σκότοι πρὸς τῶν ὀμμάτων, caligines oculorum, indeque imminens lipothymia, vel ἑκλυσις ipsa, ὕβελ σπν / palpitatio- nes cordis, salivatio crebra, oris ventriculi morsus, appetitus absurdorum ipse, malacia, vel pica, quamvis hæc rarior sit, & cordatiores paulo & firmioris animi vix corripiat. Imò eò merito referri etiam potest animi mutatio, tristitia, vel saltim hilaritatis prioris remissio, pallor faciei & decoloratio, oculorum cavitas, seu palpebrarum quædam extuberantia, dolor dentium ipse. Confer. *Aristoteles l. 7. Hist. Anim. c. 4.* Referri huc possunt ephelides seu maculæ faciei, memoratæ *Hippocrati, l. de febril. c. 6. t. 9.* Visæ sunt ab ingravidatione maniacæ redditæ non unâ vice, ut contra ea furore uterino laborantes ab illo statu sibi redditæ & omninò restitutæ, cujus utriusq; status exempla notavimus. Tanta est ab ingravidatione mutatio in totâ corporis œconomiâ.

Et licet sic ordo videatur inverti, & hæcce primis mensibus accidentia non primo loco recensita fuerint; non tamen id ullatenus vertendum est vitio, quandoquidem vi doctrinæ signorum aliter procedendum est pro eruendis notis gravidarum, ac iisdem avertendis vel curandis. Ex his verò facilè etiam judicanda & jungenda fuerint reliqua.

Nec posterioris generis consecutivæ notæ ablu- dunt, & inde enim non pauca signacula seu notæ graviditatis emergunt. Non taceri hîc debet incrementum mammarum, argumento *Hippocratis 5. aph. 37. & 38.* Et adeò quidem turgescentiam mammarum elevant non pauci, ut & lac ipsum vulgo in censum vocent graviditatis.

tatis. Occasionem huic opinioni videtur suppeditasse *idem* 5. *aph.* 39. ubi τὰς κύσας γάλα ἔχειν, *pregnantes lac habere* posse innuit. Tantum verò abest, ut hoc pro notâ graviditatis haberi velit, ut potius pro indifferenti, vel noxio potius habeat 5. *aph.* 52. mulieri gravidæ, *inquiens*, si lac è mammis multum fluat, foetus debilem significat. Locus insignissimus est *l. de nat. puer. c. 20.* Cum movetur foetus, tunc sanè lac indicationem sui matri præbet. Mammæ enim attolluntur, & papillæ gliscunt ac turgent, τὸ δὲ γάλα δὲ χωρεῖ, *lac verò non prodit.*

Sufficit quamplurimis mammas etiam suo modo paulò extuberare & indicium præbere, lac frustra inquisiveris, quo nec opus est, unde post partum demum, neque id in instanti, primò ferocius, hinc consistentiâ plenius conspicuum & suctu exigitur, & cum febriferè, lactariâ hinc dictâ, in mammas appellit. Non negandum tamen in iis, quæ à lactatione denuò concipere, lactis superesse vestigia, idemque exprimi posse, ob poros magis laxos; Imò & in prægnantibus aliquibus id offendas, etiam citra debilitatem foetus, sed supra dictis conditionibus saltim. Ante biennium hoc juvencula primâ vice uterum gerens circa medietatem effluxum lactis tenuis è mammis copiosum patiebatur, v. g. à mense tunc temporis Februario, eximiâ cum molestiâ, foetus nihilominus sanum ineunte Junio enixa. Inde verò in puerperio lac paucum satis habebat.

Illa verò turgescencia, quæ nec ipsa tamen perpetua est, non tam consensui uteri cum mammis adscribenda fuerit, quàm regurgitationi lymphæ in tubulos glandosos, quàm incremento etiam abdominis majori, unde lymphæ, superiori hemisphærio corporis undulans, in laxiores & spongiosas mammarum carnes invitatur promptius.

Non minus & in inferiori climate eveniunt ab incremento foetus, uteri, & consequenter abdominis, phænomena,

mena, inter notas gravidarum militantia. Tales sunt varices, seu nodi & crispaturæ venarum, inprimis circa valvulas, idque in plethoricis & hinc aliis quoque, quandoquidem non tam promptè sursum à partibus amandari, nec eluctari ob compressionem & arctationem viarum tam facile potest sanguis. Visæ sunt hæ in his uno latere magis quàm in altero extantes, in aliis copiosiores & majores, in aliis minores, *Kindes-Adern* hinc vocant nostrates. Visæ imò aliquando per diapedesin apertæ insciis & invitis motu proprio profudisse copiam sanguinis non levem, vix relicto, unde profluxerit idem, vestigio, quod ante annos circiter septem apud nos gravidæ continebat.

Ejusdem commatis est spasmus, symptoma, unaque nota gravidarum admodum memoratu digna. Et quidem accidit ferè magis hoc ultimis mensibus, fœtu jam grandiore, decumbentibus & noctu, ab eadem compressione, unde nervi & tendines in spasmos aguntur, mutatione positus aliisque mediis superandos. Sic & obstructa alvus, ob onus incumbens intestinis, & motum peristalticum ordinarium scybalorum sufflaminans, non infrequens est gravidis. Quin & videas indemotus convulsivos in quibusdam, magni momenti visos si incautus vel ignarus in eosdem incidat, qui quidem ex hac causâ agnoscunt originem.

Tacemus rarius itidem in aliquibus inde derivatas fissuras, siquidem distendi successivâ illâ expansione non renuit cutis æquabili latitudine, in rugas hinc fatiscens post, quam moles distendens exempta fuerit, unde eadem non facile visuntur. In aliis, accedentibus inprimis gas suo expansivo flatibus, herniæ ipsæ eveniunt, laxato majori paulo pondere peritonæo, quæ quidem, quod meritò notamus, inter extraordinaria paulo retulerimus.

Inter hæc postessentialia signa etiam referenda fuerit
urina,

urina, ex quâ ut multa alia, ita quoq; graviditatis notas venantur non pauci. Speciosum argumentum pro hujus rei veritate videri potest laudatus in corpore status mutatus, & quidem eximiè circa coctionem primam, unde aliàs urinæ eveniunt mutationes non leves. Jactatur item experientia, sive medicos expetas testes, sive uromantarum empiricorum morem. Instar omnium fit locus *Job. Guintheri Andernaci de Med. Vet. & Nov. comm. 1. dial. 7. p. 514.* urinæ, scribit, farinæ similes in ægrotis longæ valetudinis adversæ indicia; in gravidis tamen etiam sanis observari possunt. Quippe nonnulla tenui farinæ aut amylo similia in illarum urinis, etiam cum benè valent, innatant: in quibus, dum quietæ servantur, crassius aliquid lanæ tenuiter carptæ instar, in imo subfidet, vel in medio hæret, quod conceptum indicat, ut sæpe sumus experti. Desumptum id ex *Ebnisînâ l. 1. fen 2. doct. 3. c. 10. & l. 3. fen 21. Tr. 1. c. 11.*

Ast in contrarium non una militat ratio. Ponemus enim mutationem obtingere in gravidis etiam quoad urinam, illud *κρωμύρον* remanet, an illa mutatio fiat in omnibus & singulis; an illa sit communis cum aliis, ex aliâ causâ, an propria, & unicè gravidis competens ac adferenda; adeoque an topicum aliquod signum, seu nota fallax, an rata sit atque statata. Id verò difficulter, vel nunquam forte demonstrabitur. Quare sincerum est de hoc & similibus judicium *Willisii Tr. de urin. c. 7. p. m. 370.* in his vel inani conjecturâ nitentes, confidentiâ suâ credentium animis imponere: vel (quod cebrus iis in more est) callidâ verutiâ rem aliter exquirendo indagantes, notitiam suam urinæ inspectioni falsò adscribere.

Ut tamen & de hoc ulterius dispiciamus, experimentum citatum *Andernaci* non alio titulo accipiendum est, quàm communi illo, quod nec id sit perpetuum, nec ratum certumq; seu infallibile. Ut enim id in frigidioribus ita nonnunquam fiat, in aliis frustra id quæ-

fiveris, & si se offerat, nihilominus generalius & commune id est signum, cui fidere nescias. Neque verò negligenda est urinæ consideratio penitus in gravidis. Aut enim à statu priori recedit, aut eadem est, nec à se mutata. Si hoc, optimum est, & in bonis numerandum, sanarum enim hoc est opus, ergo & urina bona in gravidis non desinit esse talis. Sin alterum, aut intenditur v. g. ejusdem color, aut remittit, ex quo cum aliis arguere integrum est, quomodo se habeat coctio, & circumstantiæ aliæ, an, si planè aquosa fuerit, cachexiam notet graviditatis vicariam, vel illam saltim junctam simul, ut succurramus indicanti, serositati sanguinis, viscerum calori debili, aliisque. Par ratio est similium in morbofo statu hoc vel illo.

Idem sentiendum fuerit de pulsu. Index est humidus suo loco urina, pulsus calidi, sed non item graviditatis nisi remotius, & ut signum commune. In gravidis cum statu illo *αἰσώδη* conjungi pulsum frequentiozem, nemo non facile consenserit; sed idem in aliis etiam occurrit, citra hunc characterem graviditatis. Utraque potissimum habent locum, directè in statu morbofo, seu conjuncto, seu præsumpto, eoque dubio, ut nihil non molliatur & attendat medicus, ut plenariè circumstantias omnes excutiat, ubivis cavendo, ut alias quoque, ne postessentialia pro essentialibus arripiat; indirectè quandoque pro alio scopo, explorandi v. g. temperiem, affectus animi, vicissitudinem, vel constantiam signorum, ne alia jam attingamus.

Non possumus, quin ad essentialiter hæc consequentia referamus duo omni exceptione majora, & quæ reliquis omnibus ultimum addunt pondus, intempestivè quidem & sinistro paulo effectu abortus, tempestivè verò partus legitimus. Hujus enim respectu omnia illa fiunt & attenduntur, utpote inter conceptionem & partum tanquam duos terminos extremos media.

dia. Idque in utramque partem, seu edatur in lucem spes uteri, seu termino elapso præcludatur penitus. Est verò hic terminus completus in utroque sexu idem, non dispar, sibi relictus, ad 280. dies, i. e. 40. hebdomades, seu tres quartas anni, cum aliquâ latitudine extensus, quem ipsum natura nunquam temerè mutat.

Sed Tertius jam ad se nos vocat Fons CAUSARUM. Atque hîc quidem, ad leges medicas, sub latitudine illâ causarum militancia plura attendi postulant. Referri huc potest supponendus semper prægressus coitus fœcundus, secundum normam naturæ. Quamvis enim is ad essentialia spectet generationis, hoc loco tamen suam invenit quoque meritò tractationem. Neque ullatenus admittenda est imprægnatio vel idealis, per phantasma ac somnium quodcunque, quale quid in Galliâ disceptatum legimus, imò assertum; vel transsumptiva, qualis fabula de fœminâ refertur, quæ balneum ingressa, in quo antea vir commoratus semen emisserit, imprægnata fuerit.

Cum itaque causæ hæ & fundamentum primum largiantur, & circumstantiis variis modificent graviditatis statum, uberius paulo examinandæ veniunt. EX NATURALIBUS pondus addit notis reliquis vel derogat aptitudo ratione ætatis, temperamenti, habitus corporis, dispositionis uteri, mensium, sanguinis & feri in genere. Nubilibus enim annis vel fœtificationis reliquis statos habet terminos conceptio, extra quos non facile eadem fit. Sic quibus menses nunquam fluxêre, neque sperari facile possunt ingravidatæ. Sunt quædam familiæ, quæ magis præ aliis sunt fœcundæ, & vice versâ: Sunt, in quibus *ἀμύνης* planè offendere licet, exemptasque conceptionis privilegio.

Quædam tardius concipiunt, ut annos jam quinquaginta natæ, quod tardius conjugatæ fuerint, vel alias quoque ob rationes. Aliæ maturius desinunt, imò

& semel tantum illum statum passæ hinc non concipiunt amplius aliquando. Hinc quæ seniores sunt, quæ dudum non conceperunt, ordinariè vix subeunt ingravitationem, siquæ id fiat, uti sanè factum novimus, id rarius accidit.

Facilius item notæ graviditatis emicant &prehenduntur in iis, quæ semel iterumque expertæ sunt hunc actum. Magna enim est vis consuetudinis in utramque partem. Visæ sunt, in quibus non ita evidentia phænomena ordinaria dubiam reddere observabantur, propriis tamen gestantis notis confirmabantur eventu. Magna ergò vis est *ἰδιοσυγκρασίας* etiam in his casibus. Sic in fœminâ apud *Panarol. pentec. 5. obs. 46. p. 173.* quoties utero gerebat, statim primis mensibus vena tumens in femoris internâ parte prope genu apparebat. In aliis alia notata sunt.

Enormiter obesæ minus concipere consueverunt; quæ verò contrarium experiuntur, non mirandum est deflectere in quibusdam à reliquis notis, v. g. sub mole ventris oculi in tantum tumorem à fœtu oriundum. Sunt & aliæ quædam, quæ dum minores fœtus gestant, non putantur sæpe eo in censu esse, si tumorem extra eminentem spectes. Vicissim occurrunt mole majori prætumidæ, ubi ab expertis non rarò prædictum est, geminos gestari, respondente eventu.

EX NON NATURALIUM numero pauciora monenda se exhibent, quæ & ipsa tamen breviter libabimus. AEREM conclusum & calidum minus ferunt gravidæ, eoquæ sic produntur, liberiori magis gaudentes. De CIBO & POTU jam diximus, quem si excedant, mox luunt pœnas, redditione vel anxietate majori inde maectatæ. Absurda si appetantur, seu tempore, seu mole, seu qualitate, seu aliis incongrua, id verò propemodum proprium est gravidis. SOMNOLENTIA alias, & quidem ut plurimum, ut alias INQUIETUDO & VIGILIÆprehendunt magis. Ut QUIES longior,

longior, ut sedentaria vita in conviviiis vel aliàs molesta est: ita utrovis facile læduntur. **MOTUS** consueto citius & facilius lassat. **QUIBUS ALVUS** minus respondet, difficilius degere assolent. **VENEREM** modò averfantur, modò expetunt magis.

Variant quodammodo & limitant dictas hæctenus graviditatis notas & **CAUSÆ PRÆTERNATURALES**, morbi, causæ morbificæ & symptomata, unde & illa lustranda se offerunt. Non parum huc confert plethora & caco-chymia omnis generis, indeq; producta. Vidimus fluxisse in quibusdam gravidis hæmorrhoides, in aliis fluorem album, quæ utraq; non obstant graviditati, quandoquidem distinctis viis sanguis onerosus, & lymphæ ichorefcens exstillat.

Hypochondriacæ non paucæ extra ingravidationis tempus positæ pejus habent, simulac concepere, optimè, silente quasi morbo, & secum habitante archeo, non morbis, sed foetui magis operante. Quæpiam nihilominus habent hoc statu deprehensæ deterius, pro diversâ constitutione spirituum, humorum, viscerum. Videndum itaque, an etiam præter naturam evenientia phænomena notis gravidarum suâ accessione lumen fœnerare, an easdem obscurare queant, ubivis distinctione probè factâ inter ea, quæ simul stare, quæ minus apta nata sunt.

Restat, ut ex **ANALOGIÆ** seu similitudinis quarto fonte, quæ huc quadrant, applicemus, seu ad confirmandas, seu ad elidendas notas gravidarum. Enimverò omnia hæc comparatè intelligenda sunt & locum inveniunt, comparatione factâ gravidæ ad seipsam, & ad alias.

Ad seipsam non tantum in genere, si quidem alia redditur à se, priori statu cum præsentis, & hocce cum illo comparato; sed quoque seorsim, si eâdem jam navi aliàs vecta fuerit, vel minus. Magna enim vis est, ut
id re-

id repetamus, consuetudinis. Hinc si eadem phænomena animadvertat repetere, quæ aliàs adesse consuevere, non injuriâ efficitur, esse gravidam, & contra. Sin alia illa deprehendantur, uti non omnis gestationum vicissitudo eodem splendet sole, examinanda sunt, an καὶ λόγον eadem eveniant, nec ne, præsentē aliquā causâ idem variante. Unde nec accidentalia hæc illa, positis essentialibus, mutant faciliè effatum.

Ad alias verò non minus omnis hæc comparatio est instituenda. Necessum enim est, cum ordo naturæ sit semper idem & inviolabilis, cæteris paribus & in suâ latitudine, ut regulam Lesbiam & hîc applicemus. Quare deprehensis iisdem notis, quæ in gravidis aliis quoad universum decursum, circumstantias, & moram, adesse assolent, gravidam edicimus, cum gravida nihil à se alienum esse putare debeat, quod huic ordini competit. Contra ea si abludent, nec respondeant collectivè huic ultimæ analogiæ regulæ applicatæ, negamus merito gravidam, idque de jure naturæ. Quod erat demonstrandum.

CAPUT III.

De,

Notis gravidarum per experimenta & remotionem dubiorum.

VIsis hætenus notis gravidarum, prius, quam ulterius progrediamur, videntur eadem commodè distingui posse in genuinas, primarias, ac propriè tales, & secundarias, dubias, impropriè magis seu remotius tales. Deinde in illas non minus, quæ positive id demonstrant, certis positis, & quæ per remotionem.

De

De genuinis & primariis jam egimus, quibus positus ponitur graviditas, ut dari notas gravidarum omnium gentium ac popu'orum unanimi consensu nullatenus dubitari queat, & risum moverit vel ipsis è vulgo, qui ullâ arte certò id sciri vel demonstrari posse negaverit. Illud verò addendum superioribus, consequi omninò conceptionem alterationem humorum, spirituum & consequenter totius corporis: consequi retentionem mensium, quæ duo velut summæ causæ assignari possunt exinde insequentium phaenomenorum; ideò tamen nulla culpa affingenda est sanguini ipsi retento. Meritò enim non audiendi, qui venenosum hunc esse ac noxium arguunt, indeque evenientia hujus noxæ & virositati esse adscribenda.

Retinetur sanè, quia generationi impendendus, quâ vacante prius *πλεονασµόν* concipiens & illaturus evacuabatur menstruatim, utpote superfluous, & corpori alioqui onerosus & noxius futurus; Sed cum non statim in principio eâ quantitate infumatur, quin superfluitas quædam alimenti in corpore redundet, hinc provido naturæ consilio id refarcitur victu tenuiori. Quandoquidem enim à pleno hocce in cibo & potu consistente, impropertio oriretur, abhorret archeus eundem, unde carnum & cerevisiæ ac vini ipsius averfatio, vel adsumtorum rejectio; & vice versâ non nisi victus tenuior sustentando corpori porrigitur. Hâc velut clave positâ generali ratio generalis, & subjecti aliarumque circumstantiarum junctâ consideratione, specialis omnium & singulorum patere facile potest.

Ulterius præter hæc progressa curiositas *πειρητήρια*, experimenta ac tentamenta quoque fecit ab intra & extra, pro explorandâ ingravitatione, imò & habilitate ad concipiendum, quod jam latius disquirere superfedemus. Et hæc quidem partim cum dictis conveniunt in radice, partim abnuunt. Non unum tale experimentum

mentum traditur ab *Hippocrate*. Sic, ad explorandam aptitudinem ad ingravidandum, uti jubet *suffitu*, *s. aph. 59.* qui si subtus fiat, & vestibis undique obvolutæ ad nares & os usque penetret, non suâ culpâ sterilem arguat. Id verò alii ad definiendum, non esse gravidam, præeunte *Ebnsinâ*, adhibent *l. 3. fen 21. Tr. 1. c. 11.* quod, licet debile paulo argumentum præbeat, dum de porositate corporis, ac sensu delicatiori testatur, reliquis jungi potest.

Alterum est exhibitio dulcium, ex *s. aph. 41:* Si velis nosse, an mulier conceperit, dormituræ aquam mulsam potui dato: & si dolores circa ventrem habeat, concepit; sin minus, non concepit. Cui congener locus est alius, ex *l. de steril. c. 6. t. 11.* ubi melli & aquæ anisum addit, eodem scopo & adhibendi modo. Hic verò aphorismus adeò vexavit interpretes, ut obelisco communiter notent eundem, quorum instar omnium legi potest *Georg. Frider. Laurentius*, *Exercitatione in nonnullos Hippocratis aphorismos minus absolutè veros Primâ p. m. 1.* primo enim loco hunc ipsum tanquam falsorum præcipuum posuit, adductis variis autoritatibus interpretum cumprimis, rationibus & aliis.

Ast, ut suo loco relinquamus, quæ adducit latius, operæ pretium videtur, an mereatur penitus expungi hic ipse aphorismus, disquirere. Mitius sentiemus, si cogitemus, non adduci id à *divino Sene*, nisi ut signum secundarium, ut *περὶ πηχέου*, aliud verò est tentamentum tale, aliud *πείρα*, vel *Διάπειρα* potius. Satis est genuina insinuasse signa, quibus cognitis velut additamenta & hæc proposuisse licitum fuit. Et si verum fateamur, non adeò incongruū & ad probandum planè insufficiens est idem effatū. Nemo enim negaverit mulsam esse potus genus, potus apud Græcos non inusitati, potus medicamentosi, potus ad diætam plenam pertinentis. Uti itaque nemo negaverit in nostris plagis inter alia esse signum ingravidationis, si fœmina à potu cerevisiæ, vel vini, sentiat *σφο-*

ſus, volutationes, morſiones, anxietates, nauſeam, quo-
uſque vomitu alleviatur : ita injuria fit *Hippocrati*, ſi ceu
falſa ſcribentem traducamus, dum idem in theſi affir-
mat, concepſſe ſceminam, ſi mulier, aliàs à potu mulſæ
non læſa, jam mutato ſtatu inde malè habeat ; & ſi in-
primis circa tempus ſomni id fiat, ad majorem rei con-
firmationem, cum ſomnus aliàs digerat facilius aſſum-
pta, tum morâ, quæ intercedit, tum quiete, & aliis.

Silenzio præterimus experimentum tertium ejus-
dem, *l. de nat. mul. c. 94.* Ubi id probare jubet, ſublinendo
oculos rubro lapide, quem vocat, gravidam colligens
ſi medicamentum ingreditur, & contra. Potuit enim
talìa ab aliis addiſcere & notare, tanquam problemata,
ulterius confirmanda, quibus tamen non fidit ſolis.

Maximè omnium experimenta talia jaçantur circa
urinam gravidarum, qualia tum apud alios plures, tum a-
pud *Fr. Ranchin. Tr. de morb. ante partum &c. c. 1.* videri poſ-
ſunt. Ita laudatur *Fernelianum* illud, urinam remixto vino
albo juſculo elixarum fabarum in gravidis reddi ſimi-
lem. Sic urinam per triduum aſſervatam, teſto vaſe, per
lintheum colatam relinquere animalcula inſtar pediculo-
rum volunt. Sic & acum benè politam, cum urinâ in pel-
vi æneâ poſitam per noctem, parvis maculis infectam
apparentem, eſſe ſignum graviditatis, & quæ alia ejus-
dem ſunt farinæ.

Verum enimverò illa extra oleas diagnoſeos latius
evagantur, ut inconveniens ſit medico ſenſum & fon-
tes ordinarios dimittere, & ad incerta hæc dilabi. Nul-
lo enim fundamento nituntur, nullâ ratione, nedum ex-
perientiâ ſufficienti. Et ſi vel maximè vermiculorum
doctrinâ corroborare vellemus producta, & à colaturâ re-
ſidua putata animalcula è ſemine oriunda ſtatuerent, parum
tamen fidei fortietur & inde experimentum. Quare non
attenduntur hæc à medicis rationalibus, & ſi quid ab
empiricis pronunciatum aliquando reſpondeat, caſu ut.

plurimum magis id fit, ut plura alia; & ubi semel fortè divinatio videatur evenire ad votum, pluries falli eosdem certum est, & in illo gloriari sæpe plus quam par est, ne dicam mentiri, de his ne mutire quidem.

Idem dictum esto de experimentis astrologicis, quando ad momentum quæstionis propositæ, uti hoc loco an mulier utero gerat nec ne, thema erigunt, & ex habitu domini V. domus, domini ascendentis & lunæ ad invicem, aut cum fortunatis ac angulis, id eruere fatagunt; imò & de genere fœtas edicere, prout in signis masculinis vel fœmininis sedem habeant. Vid. *Claud. Dariott. introd. ad astrol. judiciar. c. 26. p. 57.*

Referre huc possumus strategemata, quibus expiscari solent nonnulli celatam ingravidationem, modò prudenter & honestis licitisque mediis tractentur; & forte medici primores ad hæc vel illa experimenta seu excogitanda seu fingenda fuere inducti, ut quasi alud agendo veritatem scrutarentur & deprehenderent. Non paucæ enim rationes consueverunt occurrere, quæ difficiem reddunt diagnosis. Sic, ut quædam saltem delibemus, frequentissimè simulatur vel dissimulatur conceptio, ad instar similium, vel ob utile, vel honestum, vel jucundum aliquod, exemplo earum quæ furtivâ & illicitâ venere utiæ, quibus mortis sententia indicta est, & qui casus obtingunt alii in vitâ communi.

Aliæ, quod vel conjux, vel ipsæ ardenter desiderant, facilè credunt & sibi persuadent, unde medicus offendit præjudicio jam laborantes, vel more aliorum, quod quisque amat, speratque & vult, etiam fingentes, quibus contradicere arduum est non rarò. Aliæ his contrariæ, quod nolunt averfantur, & admittere dubitant. Sunt, quæ vel præ pudore, vel majestatem, vel aliis persuasæ non exponunt medico singula, qui dum non admittitur in arcana hæc intimius, durior in pronunciando invenit provinciam. Hinc dubiis his in casibus, si unquam ali-

bi, sum-

bi, summâ opus habet prudentiâ. Et hæc atquæ similia in causâ potius sunt, si fallatur medicus, quàm prædictionis & diagnoseos incertitudo.

Strategemate tali usus *Renealmus obs. 146. p. 109.* in puellâ rusticâ, quæ ad celandum & tantum non exturbandum conceptum immensam ingurgitaverat aquæ copiam, ut hydropis nomine prægnationem dissimulare potuerit. Apparentibus graviditatis aliquibus signis, nihil tamen ab illâ negante unquam extorquere potuit nisi imposturâ, cum scilicet pollicitus esset se facturum, ut quod contineretur utero, facile evanesceret in auras, & tanquam frustatim excideret, quo factò veritatem confessa est.

Opus itaque est medico prudentiâ & σοφισμῶν debito, physicè & moraliter, ut penitus feratur in circumstantiarum adyta. Sic quoad ipsam urinam id verum est quoque. Sicuti enim vulgus ad uromantiam adductum est, quod viderent lotium adspicere in morbis, & in gravidis quoque medicos, vanâ persuasione captæ, omnia promiscuè inde patere, atque hinc dubio de conceptione orto eandem offerunt; Ita sæpe vel ex hoc solo, quod occultato nomine aliisque id fiat prudenter colligi potuit institutum, indeque quærente medico, an de graviditate sit quæstio, putantes id perspectum esse ex urinâ, quod res est falsæ sunt.

Quod verò sexum attinet, non facile medicus induci debet, ut de hoc vaticinari sustineat, cum nec ex motus discrimine falso supposito, nec aliunde id æquè clareat, nedum ex ludicris experimentis quibusdam, quæ hinc inde adnotata legas, ut prout surgens hunc vel illum pedem prius attollat, & similia. Nihilominus si medicus prudentiam adhibeat, certis casibus etiam de hoc quædam edicere poterit, sed magis probabiliter & experimenti in vicem, unde nec comparari hæc debent cum notis gravidarum reliquis, sed velut secundariò, & plus ultra progrediendo aliquando tanguntur.

Ipse Hippocrates in his quoque præluxit, quando
s. apb. 42. mulier gravida, inquit, si marem gerit, benè
 colorata est; si foeminam, decolor. Confirmat idem plu-
 ribus *l. de sterilib. c. 7. t. 1. seqq.* quæ ibidem legi queunt.
 Non diffitendum equidem, quod innuimus, id promiscuè
 non succedere, imò nonnunquam contrarium, splendo-
 ri tamen artis non derogat, si verisimiliter & licito
 joco id in quibusdam proferatur, consideratis simul cir-
 cumstantiis aliis. Rem, ut alia mittamus, tribus potis-
 simum experimentis comprobabimus. Gravidis fluore
 albo tempore ingravidationis laborantibus prædictum
 fuit semel iterumque, gestari foeminam, & respondit e-
 ventus. Cum serenissima persona gravida dira patere-
 tur ultimis mensibus symptomata, citra morbum alium,
 vomitus crebros, spasmodum faciei ipsum, alvi obstru-
 ctionem, debilitatem, prognosticum faciente medico,
 gestari foemellam, comprobavit idem quoque exitus.
 Alia ultimo mense torporem & stuporem molestum
 quendam dextro pede patiens similem audivit prædi-
 ctionem, gestari masculum, nec destituit effatum even-
 tus. Non negandum interim, fallere hæc posse, si quid
 tamen prædicendum, non temerè, sed cum grano salis,
 & decenti modestiâ, ex his & aliis fundamentis, ut tem-
 peramento utriusque conjugis id præstandum, cujus rei
 exempla dedimus *Physiol. Reformat. c. 16. p. 597.* quæ huc
 transcribere non attinet. Idem de picâ valet, & simili-
 bus. Quibus positis & de statu contrario argui potest.

Restat, ut & notas graviditatis quasdam comparatas
 delibemus, seu quæ similitudinem non exiguam cum eâ-
 dem habent, & hæc ipsâ fallere possunt. Etenim
 non solum contraria, verum & similia juxta se posita
 elucescunt magis, ita quidem, ut per remotionem ejus
 quod non est, ad cognitionem veritatis feramur certius,
 nec quid pro quo, ut ajunt, arripiamus. Faciant hæc
 ad stabilienda firmitus superius asserta *καὶ ἡμεῖς.*

Distinguenda hinc est graviditas à suppressione
 men-

menſium ſimplici, & ex aliâ cauſâ ortâ, adhibitis, ut ubi-
vis, & hîc ſignorum uſitatis fontibus, & inprimis cauſa-
rum. Exhaustis enim circumſtantiis facile clarere pot-
eſt ſuppreſſio menſium abſoluta, & ſibi reliâta, ſi con-
ſideremus id fieri vel facultate læſâ, vel errore externo
prægreſſo. Liceat nobis uti innoxiiſ hisce terminis,
quibus in pathologicis rem exprimere non inconſultum
videtur. Ubicunque enim, ut breviter dicamus, ab al-
terutro, ſive in conjugatis, ſive minus talibus, fluxus
menſium ordinarius ceſſat vel ſupprimitur, minus co-
gitandum eſt de ingravidatione, & contra. Confirmant
idem & reliqua è ſuis oculis repetenda & in praxi clini-
câ verſatis facile applicanda.

Sic etiam diſtinguendum eſt incrementum abdo-
minis à tumore hydropico, ſeu cachexiâ increſcente a-
ſcites occupet illum locum, ſeu tympanites. Quando e-
nim obveniunt medico duo morbi, neceſſum eſt utri-
uſque expendere ſigna, & his mediantibus dubium de-
cernere. Videas etiam honeſtiſſimas virgines, & nobi-
les ipſas, tympaniticas, quibus per plures annos turgidu-
lus prominet venter, citra ullam prægreſſam defloratio-
nem, nedum graviditatem. Turpiter ſe iis caſibus de-
derit medicus, qui id inde præcipitâto iudicio college-
rit, neglectis flatibus, tono viſcerum læſo, aliisque ob-
viis examini.

Lympham verò eccentricam ex cachexiâ præſen-
tiâ, tanquam matris hydropis, œdemate pedum, & pro-
priis aliis ſignis cognoveris. Difficilior caſus eſt, quan-
do graviditati ipſi complicatur hydrops, quod vidimus,
ita quidem, ut & exterius circa pudenda tumor hydro-
picus emeretur, paracenteſi minuendus, curato reliquo
in puerperio, quamvis cum jacturâ lactis. Sed & tunc
ſua fœtus præſentis, & diluvii microcoſmici ſua ſunt in-
dicia, quod & in ſupra citato exemplo *Renealmi* conti-
git. Hydrops uteri, ut & illum tangamus, rarior eſt, ſal-
tem citra reliqui abdominis tumorem conſimilem, qui
hinc

hinc non facile confundendus fuerit cum graviditatis notis, præterquam ab imperitioribus, vel magis credulis.

Maxima difficultas est in distinctione molæ à foetus genuini gestatione; neq; id tamen tanti est, si à priori non liceat hæc nosse rectius. Satis enim fuerit & molam proprie dictam esse conceptionis & in gravidationis, quamvis frustraneæ, speciem, turbatis undecunq; ideis operatricibus, & hinc velut resipiscente archæo, operis pertaso, ut mense ut plurimum tertio exturbetur, quod fovendum & formandum prius susceperat. Quod si non contingat, & longius protrahatur gestationis terminus, reliqua tamen non respondent, motus in primis & ventris ipsius dispositio, quo de pluribus agere in præsentiarum à scopo nostro abludit, ne repetamus superius jam tactum motum uteri, foetus quodammodo æmulum, & similia, quæ ex *foet* & *anæfoet* rite formata vix possint dubium relinquere animi. Concudemus ergo hæc, si prius velut porismata quædam è tractatis hæctenus fluentia adjunxerimus.

Et (1.) quidem in renunciando de graviditate præsentē vel absente non præcipitandum est iudicium. Deliberandum & hîc est diu, quod statuendum est semel. Turpe enim hinc fuerit etiam hoc casu dicere: non putaram. Quamobrem & (2.) signa sunt conjungenda, omniaque & singula probè eruenda, & ut in astrologicis, ut aliàs in politicis, & arte nostrâ ipsâ, colligenda sunt vota, ut invicem pensitatis quæ id suadeant asserantque, quæ item in contrarium militent, concludatur è præmissis, de quo erat quæstio. Experimentis vero (3.) non fidendum est. Id enim faciens è viâ regi digrediens facile ad avia declinat. Adeoque ea semper stare debent post principia, & minoris æstimanda fidei, & inter debiliora argumenta collocanda potius, quàm alia. In dubio (4.) mitior & certior tenenda est via, cavendo, ne venæsectione, purgantibus, emeticis, volatilibus spem uti i, quam omni modo tutari tenetur medicus, imprudenter excutiat. Ut enim scelus est studio id tentare, ita supina ac vix ferenda imprudentia, peccare in diagnoseos artis, & pietatis etiam, inscitâ & negligentia, leges. (5.) In mitigandis etiam gravidarum symptomatibus uno oculo ad matrem, altero ad foetum respiciendum, ne dum illi succurrere satagimus, hunc negligamus.

Atque hoc filo Ariadne adhibito è labyrintho hoc honesto modo exire licet, quibus rudiori manu ductis facile lectiora plura addi possunt. Nos verò hîc pausam facimus.

SOLI DEO GLORIA!



Difficilis res est gravidis, sed clara, mederi;
difficilem expediens clatior ergo clues.

*Dn. B I E S T E R O, ob pietatem, elegantiam
morum, eruditionem carissimo, ita
gratulatur*

P R A E S E S.